This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Ga 9 674.11

HARVARD UNIVERSITY LIBRARY

Ga 9.674.11

Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND

Established by Professor E. A. Sophocles of Harvard
University for "the purchase of Greek and Latin
books, (the ancient classics) or of Arabic
books, or of books illustrating or ex-
plaining such Greek, Latin, or
Arabic books." (Will,
dated 1880.)

[redacted]

Vierundvierzigster

Jahresbericht

über das

Königliche Paulinische Gymnasium zu Münster.

Schuljahr 1862—63.

Womit

zu den öffentlichen Prüfungen am 24. August

und zu der

Schlußfeier am 25. August

ehrerbietigst einladet

der Direktor des Gymnasiums

Dr. Ferdinand Schultz.

Voran geht:

De primo Aeschyleae Agamemnonis stasimo.

Von Herrn Oberlehrer Dr. Bohle.

Münster, 1863.

Druck der Coppenrath'schen Buchdruckerei.

Ga 9.674.11

[illegible] COLLEGE
[illegible] 10 1906
LIBRARY.
Constantius fund

DE PRIMO AESCHYLEAE AGAMEMNONIS STASIMO.

Clytaemnestra ubi primum a custode supra domus Agamemnonis tectum excubias agente certior est facta, faces quae Troianorum urbis captae signum darent esse accensas, per totam urbem sacra quibus gratia referatur diis fieri iubet. Chorus, qui sacra parari videt, ignorans quid evenerit, ex regina quaerit causam sacrorum responsumque fert, ad gratias diis agendas, quod tandem Troia sit expugnata, sacra institui. Chorus igitur quum non intelligat, qua ratione regina huius rei certior sit facta, ab ipsa docetur, facium continuis ab Ida monte incipientibus signis nuntium esse allatum; cuius rei summo gaudio affectus facere non potest (cf. v. 337 — 339. *), quin carmen canat, quo gratum animum significans summam praedicet deorum potentiam, qui hominum scelera inulta esse non patiantur.

§. 1.

Ipso carminis initio chorus veneratur Iovem et Noctem, quorum deorum opera Troianorum urbs sub Argivorum potestatem sit redacta.

ὦ Ζεῦ βασιλεῦ καὶ νὺξ φιλία
μεγάλων κόσμων κτεάτειρα,
ἥτ' ἐπὶ Τροίας πύργοις ἔβαλες
στεγανὸν δίκτυον, ὡς μήτε μέγαν
μήτ' οὖν νεαρῶν τιν' ὑπερτελέσαι
μέγα δουλείας
γάγγαμον ἄτης παναλώτου.
Δία τοι ξένιον μέγαν αἰδοῦμαι
τὸν τάδε πράξαντ', ἐπ' Ἀλεξάνδρῳ
τείνοντα πάλαι τόξον, ὅπως ἂν
μήτε πρὸ καιροῦ μήθ' ὑπὲρ ἄστρων
βέλος ἠλίθιον σκήψειεν.

Primum omnium adorat chorus Iovem, summum deorum regem atque hominum, quum ipse deus hospitalis (*Ζεὺς ξένιος*) a Paride gravissime laesus, „pastor cum traheret per freta navibus Idaeis Helenen perfidus hospitam" (Horat. Od. I. 15.), hanc iniuriam ulciscens universae Troianorum urbi perniciem attulerit. Iovi vero adiungit chorus Noctem, quod ea ipsa nocte Troia expugnata, vel potius nuntius, Troiam esse expugnatam, facium signis Argos allatus est. Iuppiter est, qui nocte vel cum nocte id quod iam diu ab omnibus vehementissime est exspectatum tandem iusto tempore iustaque ratione fecit. Minus recte igitur ad hoc carminis initium Engerus (ed. mi. **) annotat: „Die Anrede gilt der Nacht, Zeus wird 352 (347. H.) gepriesen, gleichwohl ruft der fromme Chor gleich von Anfang Zeus an, der ia die Nacht gesaudt hat."

*) Versuum numerum editionis sequor Hermannianae.

**) ed. mi. i. e. editio minor = Aeschylos Agamemnon mit erläuternden Anmerkungen herausg. von Robert Enger. 1855.

Namque noctem quidem chorus appellat; appellatio vero proprie non ad noctem, sed ad Iovem spectat, quem inde ab initio carminis praedicat, quod ea nocte Argivis victoriam dederit. Sed ut rem magis dictioni poeticae convenienter describat, et ipsam noctem chorus appellat, qua Troïa expugnata esse dicitur. Venustissime autem Iovem et Noctem una simul alloquitur, quod ambobus Argivi victoriam reportatam debent. Iuppiter quidem hoc fecit, sed quum nocte fecerit, quasi cum nocte fecit. Quam ob rem chorus Noctem ut personam tractat, ita ut Iovis uxor esse videatur, ex qua Iuppiter praestantissimam victoriae gloriam procreavit. Iam v. 250. Clytaemnestra noctem huius laeti nuntii matrem (*μητρὸς εὐφρόνης*) nominavit, ut plerumque nox mater diei vocari solet (cf. v. 264. *τῆς νῦν τεκούσης φῶς τόδ' εὐφρόνης λέγω*). Itaque chorus noctem praedicat *μεγάλων κόσμων κτεάτειραν*, magnorum honorum paratricem i. e. victoriae genitricem. Engeri (ed. mi.) explicatio: „Die Nacht hat sich durch die Eroberung Troias einen herrlichen Schmuck erworben", non placet, quum chorus Nocti non agat gratias, quod s i b i i p s i honorem victoriae paraverit, sed A r g i v o r u m e x e r c i t u i a t q u e d u c i b u s. Ob eam rem, quod Argivis victoriam dederit, etiam amicam (*φιλίαν*) appellat Noctem, quae plerumque hominibus non amica, sed inimica existimari solet. Qua vero ratione Argivis se amicam praebuerit, verbis quae sequuntur *ἥτ' ἐπὶ Τροίας κ. τ. λ.* exponitur. Uti nox universam terram crassa caligine premit, ita Troianorum urbem magno obstrinxit reti, quod nemo omnium neque iuvenis neque senex effugeret. Hoc ipsum rete chorus designat

v. 345. *μέγα δουλείας γάγγαμον ἄτης παναλώτου*. Verba *μέγα δουλείας*, quae iam Schützio glossema esse videbantur, omnes fere recentioris memoriae interpretes ut spuria aut eiecerunt aut uncis incluserunt. „*μέγα δουλείας*, Engerus (ed. ma. *) inquit, inepte additum, nam ut verba *μήτε μέγαν μήτε νεαρῶν τινα* docent, *ἄτη* non solum de servitute, sed etiam de caede dictum est." At haec verba mihi quidem non solum non inepte, verum etiam aptissime addita videntur. Voci *γάγγαμον* epitheton ornans addi, non est quod vituperetur, praesertim quum epitheton *μέγα* voci *γάγγαμον* maxime conveniens esse iam illud *δίκτυον στέγανον*, rete tegens sc. totam urbem, apertissime doceat. Neque vero *δουλείας* qui additur genitivus displicet. Hermannus quidem hunc genitivum ex altero genitivo pendere sensumque esse *μέγα γάγγαμον ἄτης παναλώτου τῆς δουλείας* putat, sed magis poeticae dictioni convenire mihi videtur, utrumque genitivum ex voce *γάγγαμον* pendere, ita ut genitivus *δουλείας* pendeat ex sola voce *γάγγαμον*, genitivus vero *ἄτης παναλώτου* ex *μέγα δουλείας γάγγαμον* quasi ex una notione. Rectissime igitur Schneidewinus vertit: „das gewaltige Knechtschaftsgarn allfangenden Elends." Magno servitutis reti omnes capiuntur et iuvenes et senes; *ἄτη* vero omnes hoc reti capit. Quam ob rem Engeri (ed. mi.) interpretatio: „*παναλώτου* mit *ἄτης* verbunden, während es eigentlich zu *γάγγαμον* gehört, das allesumspannende Netz", mihi non probatur. *παναλώτου* non est epitheton vocis *γάγγαμον* ad vocem *ἄτης* translatum, sed proprium *ἄτης*. Nam *πανάλωτος* non significat „a l l e s u m s p a n n e n d",

*) ed. ma. i. e. editio maior = Aeschyli Agamemno primum ed. R. H. Klausen. Editio altera quam curavit R. Enger. 1863.

sed omnia capiens, alles fangend. Id vero multo aptius atque pulchrius de ate ipsa omnia capiente, quam de reti praedicatur quo omnia capit. Praeterea etiam significatio vocis *πανάλωτος* non minus fortiter vocem *δουλείας* tuetur, quam vox *γάγγαμον*. Utraque enim ad servitutem non ad caedem spectat. Quod igitur hoc reti omnes in servitutem rediguntur et iuvenes et senes, magnum sit necesse est; qua re aptissime *μέγα* additur. Quod vero Weilius, qui Hartungium et Engerum sequitur, dicit: „nox illa fatalis non solum servituti sed neci Troianos tradidit", nullius est momenti. Nam quamquam multi Troianorum in expugnatione ipsa necantur, tamen non omnes; servitutem autem nemo effugere potest. Quum primum Argivi urbe sunt potiti, omnes incolae servitutis reti sunt obstricti, facti sunt servi (*δοῦλοι*). Id potissimum chorus praedicat, neque vero omnes esse occisos, ut ne unus quidem Troianorum mortem effugerit. — Quibus de causis *μέγα δουλείας* aptissime additum prorsus servandum esse existimo. Adde quod monometer ante versum qui sequitur paroemiacum summopere placet.

Chorus, qui Iovis laudes praedicaturus imprimis in noctis, qua Iuppiter Troianis servitutem atque perniciem paraverit, laudibus est versatus, nunc Iovem ipsum celebrare pergit. Adorat igitur Iovem hospitalem magnum, qui quum diu adversus Paridem arcum tetenderit, hoc ita perfecerit, ut neque ante tempus neque ultra terminum telum frustra coniecerit.

v. 348. Verissime ab Hermanno et Blomfieldio commatis interpunctio post *Ἀλεξάνδρῳ* deleta post *πράξαντ᾽* posita est.

v. 350. Verba *ὑπὲρ ἄστρων βέλος σκήπτειν*, quae ex proverbio *εἰς οὐρανὸν τοξεύειν* explicanda esse Stanleium recte vidisse Hermannus putat, Engero (ed. ma.) autem hoc proverbio non posse defendi videntur, explicari quidem non possunt isto proverbio, quum in verbis et in proverbio prorsus diversa insit imago, defendi tamen possunt, quum et illa verba et hoc proverbium similes res exprimant. Nam proverbium *εἰς οὐρανὸν τοξεύειν* significat telum coniicere quod citra terminum cadit i. e. aliquid petere quod consequi non licet; verba vero *ὑπὲρ ἄστρων βέλος σκήπτειν* significant telum coniicere quod ultra terminum transvolat i. e. aliquid petere quod non consequeris. Alterum igitur est parum longe iaculari, alterum nimis longe iaculari, quamquam utriusque effectus est idem, frustra aliquid petere. Iuppiter etiamsi, quod quidem fieri nequit, terminum non consequatur, tamen eum telum coniicere quod citra terminum cadat ut ipso indignum dicere non licet, Iuppiter certe telum ultra terminum transvolans mittat oportet. Quam ob rem nihil aptius de Iove dicitur quam *βέλος ὑπὲρ ἄστρων σκήπτειν*. Etiam verba *ὑπὲρ ἄστρων* optime cum verbis *πρὸ καιροῦ* conveniunt. Neque ante tempus opportunum neque ultra terminum constitutum Iuppiter telum coniecit. Chaldaeorum superstitionem verba *ὑπὲρ ἄστρων* neque sapiunt, ut Weilio videtur, qui ea de causa *ὑπὲρ ἀκμῶν* suspicatur, neque ad eam, ut hunc locum explices, confugias necesse est, quod Naegelsbachio placet, qui vertit: „nicht vor, nicht jenseit der Schicksalsstunde" et annotat: „explicatio petenda est ex oppositi ratione; ultra tempus stellarum cursu destinatum, jenseit der von den Gestirnen herbeigeführten Zeit." At qualis in verbis *ὑπὲρ ἄστρων*,

Vierundvierzigster

Jahresbericht

über das

Königliche Paulinische Gymnasium zu Münster.

Schuljahr 1862—63.

Womit

zu den öffentlichen Prüfungen am 24. August

und zu der

Schlußfeier am 25. August

ehrerbietigst einladet

der Direktor des Gymnasiums

Dr. Ferdinand Schultz.

Voran geht:

De primo Aeschyleae Agamemnonis stasimo.

Von Herrn Oberlehrer Dr. Bohle.

Münster, 1863.

Druck der Coppenrath'schen Buchdruckerei.

loquitur, hoc loco totus est in summa Iovis potentia praedicanda. Paris quidem ipse est auctor poenae quam nunc luit, sed poenam de Paride sumit violati hospitii Iuppiter hospitalis, qui impium facinus inultum esse non patitur. — Hac ratione etiam huius atque proximi versus sententiae optime cohaerent. Nam quum Iuppiter sicut statuit perfecerit, apparet illos perverse iudicare qui putent deos hominum nefariorum facinora nihil curare; id enim solus impius contendere potest. — Denique quod Engerus de locutione ex arena sumta disserit, recte quidem se habet; at minime inde efficitur, etiam hoc loco ita esse mutandum, ut illa locutio insit, praesertim quum librorum vulgata lectio sensum praebeat aptissimum.

v. 354. Hermannus annotat: „Diagoram Melium his verbis tangi ratus Blomfieldius..... Eum ut respexerit Aeschylus certe propterea captavit istam ambiguitatem, quia hic proprie non Diagoram sed Priamum intelligi volebat.“ Suo iure ab hac Hermanni explicatione Hartungius dissentit. Priamum enim hoc loco certissime Aeschylus non vult intelligi (cf. Hartung.); quod tamen non prohibet, quominus atheum quendam sui temporis Aeschylus his verbis perstringat, idque indicare videtur, quod Aeschylus addit ὁ δ' οὐκ εὐσεβής, quibus verbis non hunc illum sed certum quendam innuere videtur. Aeschylus, homo religiosissimus, reprobat impiam impiorum opinionem, deos res humanas nihil curare, imprimis vero eorum qui asserant, deos nihil curare homines impios atque improbos, qui sacra profanaque misceant; hanc opinionem apertissime exitu belli Troiani ut falsam refutari. Verumtamen Aeschylus hoc loco non solum Troianos respicit, sed in universum de impiorum poena disputat, quam disputationem per totam fere stropham et antistropham ad v. 382. persequitur, quo versu generalem quam exposuerit sententiam ad Troianos spectare chorus declarat verbis οἷος καὶ Πάρις κ. τ. λ. Quamquam Paris haud dubie iam voce τὶς v. 354 indicatur. Paris opinabatur, impium impune impie agere posse, deos impietatem nihil curare; maiores enim esse quam ut sua interesset quid homunculi agerent: sed falsam esse hanc opinionem iamiam miserrimo belli eventu expertus est ipse (e chori enim sententia Paris ad Troiae expugnationem vixisse videtur). Chorus vero hanc Paridis opinionem eventu belli falsam exstitisse extrema antistrophae parte non uberius disserit, quum iam iis quae praecedunt satis vindictam quae impios maneat exposuerit et ipso initio strophae atque prooemio carminis Troianorum miserrimam sortem monstraverit (Διὸς πλαγὰν κ. τ. λ. — ὦ Ζεῦ βασιλεῦ κ. τ. λ.). Troianos gravissima poena Iuppiter hospitalis afflixit (v. 352—354.) propter Paridis impietatem, qui Iovem hospitalem neglexit hospitiumque violavit (v. 382—385.). In medio harum sententiarum (inde a v. 355. ad v. 381.) pulcherrime a poeta collocata est de impiorum poena disputatio generatim instituta. Sed multae magnaeque difficultates in hac disputatione oboriuntur.

v. 358 sqq. πέφανται κ. τ. λ. Librorum lectio maxime corrupta ac depravata esse videtur; qua de causa interpretes fere omnes maxime inter se discrepantes sua quisque ratione emendandi huius loci pericula fecerunt, quorum plurima quidem sed non omnia Engerus (ed. ma.) affert. Ipse (ed. ma.) cum Fritzschio ἐκγόνοις ἀτολμήτων Ἄρης recepit, quum in editione minore Hartungium secutus ἐκτίνουσα τόλμα τῶν Ἄρη πνεόντων recepisset; cum Hermanno autem ὑπέρφευ· ὕπερ τὸ βέλτιστον (ed. ma. et mi.) legit. Engero

enim, „quum Ἄρη πνεῖν de Troianis inepte, μέγα πνεῖν superbire apte dicatur, recte videtur Ἄρης Fritzschius correxisse.“ At primum omnino non concedo, hoc loco proprie et nominatim de Troianis sermonem esse. Chorus quamvis Troianos respiciat, tamen generatim et universe de quorumlibet impiorum poena loquitur, quod et ex iis quae praecedunt et sequuntur facile intelligitur. Deinde concesso quod nego, hoc loco de Troianis ipsis agi, tamen non solum μέγα πνεῖν superbire, sed etiam Ἄρη πνεῖν μεῖζον' ἢ δικαίως aptissime et verissime de Troianis dicitur. Nam revera Troiani Martem iusto maiorem spirabant, quum reddendae Helenae bellum temere anteponerent, domorum opibus copiosissimis confisi.

Ad πέφανται κ. τ. λ. intelligendum esse membrum quod praecedat θεοὺς βροτῶν..... πατοῖτο, verissime Wunderus monet, cum quo Naegelsbachius consentit. Ob eam rem audacissimis coniecturis ab interpretibus factis, ut difficultates tollantur quas verba δ' ἐκγόνους ἀτολμήτων afferre videntur, minime opus est. Libri exhibent δ' ἐγγόνους ἀτολμήτων (in Farn. ad prius γ est κ supra adscriptum). Bambergerus recte ἀτολμήτως correxit; adde emendationem ἐγγόνοις, et nulla alia coniectura huic loco opus erit. Nam ἐγγόνοις in ἐκγόνοις mutetur necesse non est, quum ἔγγονος idem fere significet quod ἔκγονος. Sensus igitur huic loco maxime conveniens est hic: Deos hominum impiorum facinora curare apparet (accuratius apparuit, sed πέφανται = φανερόν ἐστι) natis eorum qui modo non audendo Martem spirant iusto maiorem (μεῖζον' cum Hermanno legere magis placet quam cum vulgata μεῖζον i. e. iusto magis). Haec est sententia omnino generalis et universa, quae, quamvis Troianos eam respicere non sit negandum, tamen vel ad Argivos ipsos spectat, quum et hi Martem iusto maiorem spirarent propter mulierem bellum atrocissimum suscipientes.

Causa vero, quare maiorem iusto Martem spirant, sunt divitiae quibus spirantium domus abundant. His divitiis confisi superbia intolerabili utuntur; quam ob rem φλεόντων δωμάτων genitivus absolutus non est temporalis antecedenti genitivo subiectus, ut Naegelsbachio placet, sed causalis explicandus. Sed Hermanni mutationem φλεόντων δωμάτων ὑπέρφευ· ὅπερ τὸ βέλτιστον, quam Engerus (ed. mi. et ma.) probat, comprobare non possum; servanda mihi videtur librorum lectio ὑπέρφευ ὑπὲρ τὸ βέλτιστον. Nam quid sibi velit ὅπερ τὸ βέλτιστον? E sententia Hermanni chorus dicit, domum nimis affluentem esse praestantissimum (cf. Enger. ed. mi. „ὅπερ neml. φλέειν δώματα“). Attamen eam chori sententiam non fuisse, ex iis quae sequuntur facile est ad intelligendum. Praestantissimum est pro eius animi voluntate tantum integrum habere quantum satis est sanae menti, ἔστω δ' ἀπήμαντον ὥστ' ἀπαρκεῖν εὖ πραπίδων λαχόντα. Domus nimis affluens haudquaquam bonum est praestantissimum. Quaecunque modum excedunt, non modo non sunt optima, sed ne bona quidem. „Bene est cui deus obtulit parca quod satis est manu.“ Horat. Od. III. 16. φλεῖν iam significat abundare, ὑπέρφευ vero supra modum. Vocem ὑπέρφευ vituperatione non esse vacuam, quod Engerus (ed. mi.) asserit, iam ex Pers. 822. ὡς οὐχ ὑπέρφευ θνητὸν ὄντα χρὴ φρονεῖν satis superque probatur. Etiam sententiarum contextus flagitat, ut in ὑπέρφευ reprehensio quaedam insit. Nam unde spirant Martem iusto maiorem nisi quod nimis affluentes sunt domus? Nimiae enim opes pariunt superbiam, ex qua temeraria audacia Martem

2

iusto maiorem spirantium oritur. Itaque quum φλεῖν δώματα ὑπέρφευ iam bonum, ne dicam optimum (praestantissimum), excedat, chorus hoc loco sine dubio non dicit φλεῖν δώματα ὑπέρφευ esse praestantissimum, neque Hermanni mutatio ὅπερ τὸ βέλτιστον defendi potest. Sententia autem evadit maxime concinna, quum ὑπὲρ τὸ βέλτιστον verbis φλέοντων δωμάτων ὑπέρφευ adiungitur. Tum hoc ὑπέρφευ more Aeschyli aptissime explicatur verbis ὑπὲρ τὸ βέλτιστον, quae verba ipsa ad designandam divitiarum nimiam abundantiam plurimum conferunt.

Quum opes nimis copiosae perniciosissima generent vitia, optimo iure chorus maiores perhorrescit divitias sibique tantum cupit quantum satis sit sanae menti. ἔστω δ' ἀπήμαντον ὥστε κ. τ. λ. i. e. ἔστω ἀπήμαντον τόσον ὥστε κ. τ. λ. Hermannus non recte haec verba vertit: „sed vacuum esto crimine." Adductus quidem est, ut ita verteret, emendatione sua ὅπερ τὸ βέλτιστον, quam supra refutavi. Neque vero ἀπήμαντον significat **vacuum crimine**, sed **vacuum calamitate, damno**. πῆμα enim est **calamitas, damnum**, omnibus locis qui plurimi sunt apud Aeschylum (cf. Wellauer. lex. Aeschyl. s. v.), nusquam **crimen**. Chorus igitur optat, ut tantum vacuum sit calamitate atque damno quantum satis sit. Sed difficultatem quandam affert illud ὥστε κἀπαρκεῖν, quod Farn. Vict. exhibent et Hermannus in textum recepit atque καὶ ἀπαρκεῖν, **ita ut satis sit**, interpretatur. At neque illud καὶ satis explicari potest et Flor. ὥστ' ἀπαρκεῖν praebet. Quare hoc loco ὥστ' ἀπαρκεῖν probo, in antistropha vero vitium quoddam occultum iacere suspicor. ἀπαρκεῖν est **sufficere, satis esse**, ut recte Hermannus et Klausenius explicant. Mirum autem in modum Engerus (ed. mi.) καὶ ἐπαρκεῖν explicat; „der Reiche darf so wenig aus Uebermuth verletzen, dass er sogar nützen soll." Nam de benevolo atque benefico divitis animo hoc loco chorus non cogitat, sed de aequo atque contento animo pauperis, qui neque abundat neque indiget, sed tantis opibus fruitur quantae sufficiunt. Aequam suam mentem chorus superborum divitum animo iniquo opponit. Huc igitur tendit πρὸς κόρον quod iam sequitur voci ἐπαρκεῖν vel melius ἀπαρκεῖν aperte oppositum. Neque vero eam qua Naegelsbachius locum explicare studet rationem comprobare possum. „ἀπήμαντον, inquit, sc. τό ..... ἀπαρκεῖν est proprie sufficere. Hoc fit transitivum: facere, ut sua res alicui sufficiat, zufrieden stellen. Hoc si est, accusativus adiunctus ut ad ἀρέσκειν. Verum hoc transitivum potest etiam esse pro medio, sich zufrieden stellen lassen, zufrieden sein. Iam ante ὥστε cogita: **hoc satis est**, ut rebus suis contentus sit homo sapiens, dass der Weise zufrieden sei, soll nur Unglücklosigkeit vorhanden sein." Vertit igitur: „Nur Unglück bleibe fern (ἔστω δ' ἀπήμαντον), dann lässt der Weise sich genügen." At primum quidem ἀπήμαντον esse subiectum, nemo est qui probet, quum illa articuli omissio ferri nequeat. Deinde significatio vocis ἀπαρκεῖν tanta mole extorta nullis probatur exemplis. Etiam sententiarum contextus ita est comparatus, ut hoc loco de opibus quae satis sint agi necesse sit, quum et ante et post commemorentur opes nimis affluentes atque abundantes (v. 361. φλεόντων δωμάτων ὑπέρφευ ὑπὲρ τὸ βέλτιστον, v. 366. πλούτου πρὸς κόρον). Sensus igitur est: **Utinam tantum vacuum sit damno ut satis sit quum quis sanam mentem nactus est.**

§. 3.

Suo voto chorus causam addit, cur neque sibi ipse maiores opes optet neque omnino sint optandae. Neque enim, inquit, propugnaculum est divitiarum contra interitum homini, qui *πρὸς κόρον*, i. e. satietate ac taedio et superbia inde exorta inflatus, magnam Iustitiae aram laesit (cf. Eumenid. 530 sqq.). Talem hominem poena, quam effugere non potest, serius ocius consequitur (*ποινὰ γὰρ ἐπέσται,* Eumenid. 533.). Qua vero ratione poena ut perdat hominem persequatur, a choro explicatur antistropha.

βιᾶται δ' ἁ τάλαινα πειθώ, ἀντ. α'.
προβουλόπαις ἄφερτος ἄτας.
ἄκος δὲ παμμάταιον. οὐκ ἐκρύφθη,
πρέπει δὲ φῶς αἰνολαμπές, σίνος·
κακοῦ δὲ χαλκοῦ τρόπον,
τρίβῳ τε καὶ προςβολαῖς
μελαμπαγὴς πέλει
δικαιωθείς, ἐπεὶ
διώκει παῖς ποτανὸν ὄρνιν,
πόλει πρόςτριμμ' ἄφερτον ἐνθείς.
λιτᾶν δ' ἀκούει μὲν οὔτις θεῶν·
τὸν δ' ἐπίστροφον τῶν
φῶτ' ἄδικον καθαιρεῖ.
οἷος καὶ Πάρις, ἐλθὼν
ἐς δόμον τὸν Ἀτρειδᾶν
ᾔσχυνε ξενίαν τράπε-
ζαν κλοπαῖσι γυναικός.

v. 369 sqq. Chorus eandem explicat sententiam, quam supra v. 205 sqq. iam exposuit. Homo, qui semel scelus admisit, violenter ad novum scelus adigitur, in dies magis magisque scelere obstringitur, ut tandem fieri non possit, quin scelere opprimatur. Adigit vero hominem *τάλαινα πειθώ*, quam chorus v. 210. *τάλαινα παρακοπά* appellat. *παρακοπά* significat mentis alienationem, mentem de veritate depulsam atque libidine obcaecatam, quam *παρακοπάν* v. 209. chorus vocat *αἰσχρόμητιν,* turpia suadentem. Eadem est huius loci *τάλαινα πειθώ*, quae supra *αἰσχρόμητις τάλαινα παρακοπά* describitur; est malesuada mens libidine offusa atque obcaecata, quae hominem violenter urget. Haec *πειθώ* designatur *προβουλόπαις ἄφερτος ἄτας*. Atque apte hoc loco *πειθὼ παῖς ἄτας* appellari apertum est. *ἄτη* enim non solum pernicies est atque damnum non vacuum crimine, verum etiam ea mentis perturbatio, qua homo in crimen atque damnum propellatur. Haec *ἄτη* mater parit filiam *πειθώ*, suadelam, qua homini persuadetur ut scelus admittat et perniciem sibi ipse consciscat. Quum filia suis consiliis hominem urgeat, bene *προβουλόπαις* appellatur. Sed pessime haec vox *προβουλόπαις* interpretes torsit. Hartungius, cui alii assentiuntur, hanc vocem designat omni sensu carentem asseritque, et metrum et sententiam flagitare *προβούλου παῖς*. At ut metrum quoque *προβούλου παῖς* flagitet, antea in stropha *πάρεστι* in *πάρεστιν* nulla ratione mutetur necesse est. Sententiam vero, ut *προβούλου παῖς* scribatur, flagitare minime probari potest, quum *προβουλόπαις* neque omni sensu careat neque sententiarum contextui repugnet. *προβουλόπαις,* quod quidem *ἅπαξ λεγόμενον* est, significat filia consiliatrix (cf. Wellauer. lex. Aesch. s. h. v.), filia consultrix (cf. Herman. i. h. l.), filia curam gerens (cf. Klausen. i. h. l.). Klausenius, ut recte videatur haec vox esse composita, voces affert eadem ratione compositas *αἰνόπατερ* Ch. 315., *ἀμβροτόπωλος* Eur. Troad. 536., *Αἰνόπαρις* Hec. 945., quibus et aliae adiici possunt (cf. Schneidew. i. h. l.). Sententiarum autem contextui vocem *προβουλόπαις*

non repugnare, iam ex iis quae supra diximus facile intelligitur. Verissime igitur huius loci sententia ab Hermanno sic explicatur: „Urget, ut quis in perniciem ruat, audax suada, consultrix filia effrenata culpae. Nam semel admissa culpa suadet opus potentiamque ad tuendum conferre quod iniuria possidetur, subministratque ei rei consilia.“

v. 371 sqq. Ubi vero effrenata urget libido, nullum prorsus remedium quidquam valet; praeceps homo in perniciem ruit, neque divitiae tuentur (cf. v. 365.), neque preces, quibus sero invocantur dii, servant (cf. v. 379.). Recte igitur *ἄκος δὲ πᾶν μάταιον*, quod pro librorum lectione *παμμάταιον* Musgravius et Meinekius correxerunt, hoc loco ferri potest. Verumtamen vulgatam librorum lectionem huic emendationi longe antepono. Nam multo fortius mihi dictum videtur *ἄκος δὲ παμμάταιον* quam *ἄκος δὲ πᾶν μάταιον*. Hoc significat: Remedium omne est vanum, illud vero: Remedium est omnino vanum i. e. remedium, quodcunque est, omnino est vanum; nullum remedium ullam quantulacunque est salutem affert. Itaque „non in occulto manet, sed conspicua est lux triste lucens, noxa, i. e. in clara sed tristi luce conspicitur eventus mali facinoris“ (Herman.). Quae quum chori verba in universum dicta sint accipienda, quod omnis culpa semel admissa se ipsa nova atque maiore culpa tueri et servare studet, tamen nihilo minus Engero (ed. ma.) assentiri licet, chorum etiam respicere „bellum ad tuendam rapinam (raptum) a Paride et Troianis susceptum, quo scelus illud non est occultatum sed etiam magis conspicuum redditum, ut quasi lux perniciosa splenderet.“

v. 374. Statim vero pro hominis superbi malo facinore ipsum hominem superbum mali facinoris auctorem substituit eumque cum aere adulterino comparat. Sicut aes adulterinum initio quidem splendet, tritu vero et allisione nigrum nanciscitur colorem, ita homo superbus initio opibus splendet, sed haud ita multo post ex eventu atque exitu rerum convincitur. Partes vero comparationis, res quae comparatur et res quacum comparatur, a choro non distinentur, immo etiam confunduntur atque miscentur, ita ut dicatur: Mali autem aeris instar tritu et allisionibus niger fit convictus, nam....... Verbis quae sequuntur *ἐπεὶ διώκει κ. τ. λ.* causam addit chorus, cur talis homo convincatur. *διώκειν τὰ πετόμενα* est proverbialis dictio, cuius vis est persequi quod contingi nequit, inania persequi, *ἀκίχητα διώκειν* Hom. Il. XVII. 75. Fieri non potest, chorus inquit, quin homo nefarius tandem convincatur; nam consequi tentat quae omnino non sunt consequenda. Sicut puer avem volantem captare studet, ita nefarius inania persequitur.

v. 378. Quum pueri instar inanes res consequi tentet, non ipse solus in perniciem ruit, verum etiam totam suam urbem perdit, intolerabilem civitati cladem inferens. Hoc versu chorus iam apertius, ne dicam apertissime, Paridem eiusque facinus perniciosum designat, quamquam vel hic versus generatim atque universe intelligendus est. Nam revera demum v. 382. ad Paridem revertitur atque de re universa tractare desinit. Homines nefarii non solum sibi ipsis calamitates inferunt sed etiam omnibus, quos inter et ipsos ratio quaedam consuetudinis et familiaritatis intercedit, quum plerumque societatem mali facinoris ineant, velut ipsi Troiani sese socios Paridis sce-

leris praebuerunt, quum Helenam raptam Argivis reddere recusarent bellumque istius mulieris causa susciperent. „Paris vero inania sperasse dicitur, quum se bello victorem fore credidit“ (Herman.).

v. 379 sqq. Clades atque calamitas, quam nefarius ille sibi urbique infert, neque ferri (ἄφερτον πρόςτριμμα) neque averti potest; preces nullus iam deorum exaudit, immo vero deus harum auctorem, virum iniustum, perdit. — Quum τῶνδε iam metro vulgatae lectionis strophae ὥστε κἀπαρκεῖν repugnet (pro brevi enim ultima in τῶνδε syllaba requiritur longa), Blomfieldius τούτων scripsit. Attamen quum vulgata strophae lectio haud dubie (cf. pag. 10.) lectioni Flor. ὥστ' ἀπαρκεῖν postponenda sit, Klausenius verissime hoc loco τῶν pro τῶνδε proposuit, quod Ahrensius probavit et Naegelsbachius in textum recepit. Namque de hoc articuli usu inter omnes constat (cf. Herman. in Agam. 7.). Quod Engerus (ed. ma.) dicit, hoc loco articulum ita non recte esse collocatum, non probo. In trimetro quidem talem articuli demonstrativi collocationem impugnari posse, Kienertius (progr. schol. Coislin. a. 1856.) vere docuit; in melicis vero carminibus aliter rem se habere, ipse exemplo Aeschyl. Sept. 887. comprobat. Sed quaeritur, quo sit τῶν referendum. Interpretes quod sciam omnes τῶνδε (τῶν) referunt ad illud ἄφερτον πρόςτριμμα, ut significet ἐπίστροφον τῶνδε „active auctorem qui intulit urbi illud ἄφερτον πρόςτριμμα“ (Herman.); mihi vero magis conveniens esse videtur, τῶν referri ad λιτᾶν, ut sit ἐπίστροφος τῶν is qui in precibus versatur, qui precibus deos invocat. Homo iniustus (cf. v. 367. λακτίσαντι μέγαν Δίκας βωμόν), etiamsi precibus deos invocat, tamen non servatur, sed ad interitum ruit. Nam iustorum pias preces dii exaudiunt (cf. Sept. 155. 607.), iniustorum autem impias aversantur iniustosque ipsos poenis persequuntur.

v. 382. Chorus qui inde a v. 355. ad v. 381. in universum deorum summam iustitiam et potentiam, qua facinorum poenas ab impiis repetunt, laudibus extulit, v. 382. ad Paridem revertitur, qui raptu Helenae gravissimo scelere se obstrinxit ob eamque rem cum universa urbe debitam poenam luit. Sed quum iam initio carminis poenam quam Troiani dant indicaverit et in ipso carmine de re universa tractans saepe respexerit, nunc non copiosius eam exponit.

§. 4.

Chorus qui stropha prima atque antistropha miseriam descripsit, qua et Paris ipse et universa Troianorum civitas poenas dederunt, multo magis ea miseria commovetur, qua et ipse Menelaus et universa Graecia Paridis nefario facinore sunt affecti. Hanc igitur deplorat duabus strophis et antistrophis quae sequuntur. Sed quum et ipsi Atridae, imprimis Agamemnon, huius miseriae propter mulierem adulteram suamque ipsorum gloriam universae Graeciae illatae sint auctores, ipsos Atridas deorum vindicta maneat oportet; nam ab iis, qui multos civium morti dederunt, dii poenas repetunt. Ita chorus etiam hoc carmine perinde atque parodo aperte metum suum indicat, ne duces victores mala sors opprimat atque perdat, sibique optat, ut neque urbium vastator et direptor celebretur neque servorum degat miserrimam vitam.

λιποῦσα δ' ἀστοῖσιν ἀσπίστορας στρ. β'.
κλόνους τε καὶ λογχίμους ναυβάτας
θ' ὁπλισμούς,
ἄγουσα τ' ἀντίφερνον Ἰλίῳ φθοράν,
βέβακεν ῥίμφα διὰ πυλᾶν,
ἄτλητα τλᾶσα· πολλὰ δ' ἔστενον
τάδ' ἐννέποντες δόμων προφῆται·
ἰώ, ἰὼ δῶμα, δῶμα καὶ πρόμοι,
ἰὼ λέχος καὶ στίβοι φιλάνορες.
πάρεστι σιγᾶς ἄτιμος τ' ἀλοίδορος,
ὕδιστ' ἀφειμέναν ἰδών·
πόθῳ δ' ὑπερποντίας
φάσμα δόξει δόμων ἀνάσσειν.
εὐμόρφων δὲ κολοσσῶν
ἔχθεται χάρις ἀνδρί·
ὀμμάτων δ' ἐν ἀχηνίαις
ἔρρει πᾶσ' Ἀφροδίτα.

Malis quae omnibus Argivis sunt illata summatim atque breviter descriptis chorus v. 386—407 calamitates enarrat, quas Helena virum alienum secuta Menelao coniugi attulerit. Omnibus suis civibus Helena clipeatorum atque hastatorum tumultus et nautarum armaturam, i. e. pugnas pedestres laboresque navales, reliquit, quum Troiae pro dote perniciem afferens velociter per Atridarum domus portas egrederetur non audenda audens.

v. 387. emendationem Ahrensii *κλόνους τε καὶ λογχίμους ναυβάτας θ' ὁπλισμούς* propter versus antistrophae lectionem in textum recepi.

v. 389. *βέβακεν* cum Farn. Victor. lego; *διὰ πυλᾶν* de Atridarum domus portis intelligatur necesse est (cf. Klausen. i. h. l.).

v. 391. Quaestio exoritur, qui sint isti *δόμων προφῆται*. Schneidewinus, qui Welckerum sequitur, Troianos vates, Helenum et Cassandram, qui Helenae adventum Troianis perniciosissimum fore vaticinati sint, intelligendos esse putat et ingeniosius quam verius illud vaticinium de Troianis interpretatur. Primum quaeritur, quid *βέβακεν ῥίμφα διὰ πυλᾶν* significet. Schneidewinus quidem illud ad portas Troiae vel arcis Priamidarum spectare existimat. At de Troiae portis nisi durius intelligi non potest. Nam haud dubie haec verba *βέβακεν ῥίμφα διὰ πυλᾶν ἄτλητα τλᾶσα* referenda sunt ad illa quae praecedunt *Πάρις ἐλθὼν ἐς δόμον τὸν Ἀτρειδᾶν κ. τ. λ.* Paris ingressus est in domum Atridarum, Helena egressa ex eorum domo; Paris turpissimum facinus commisit raptu Helenae, Helena non audenda ausa est adulterum secuta. Illud *βέβακεν ῥίμφα*, ivit raptim i. e. fugit, necessario requirit terminum unde fugit, non quo fugit. Ivit raptim per Atridarum portas si dicitur, optimum praebet sensum; sed quid sibi velit, si dicatur ivit raptim vel fugit in Priami aedes. Neque vero *ἄτλητα τλᾶσα* de ingressu (fuga) in Priamidarum domum, sed de egressu (fuga) ex Atridarum domo intelligi potest. Hoc erat Helenae facinus non audendum, quod mariti domum deseruit.

Quod quum fieri non possit, quin in verbis *δόμων προφῆται* illud *δόμων* ad verba quae praecedunt, *ἐς δόμον* et *διὰ πυλᾶν*, referatur, nihil aliud restat nisi ut *δόμων προφῆται* Argivi vates intelligantur. Accedit quod vaticinium moerorem et luctum unius domus annuntiat, qui calamitati universae Graeciae opponitur (cf. v. 408. 409.). Neque vero haec una domus Priami esse potest, immo Atridarum vel potius ipsius Menelai sit oportet. Etiam singulae huius vaticinii res aperte docent vates esse Argivos: illud *πρόμοι* (v. 392.) Atridas (cf. v. 187.) significat; *ὑπερπόντια* (v. 394.) est quae trans mare versatur (cf. Supp. 41., Sophoc. Antig. 786.); *ὀνειρόφαντοι πενθήμονες κ. τ. λ.* (v. 402 sqq.) de Helena

inepte dicitur. Itaque δόμων προφῆται vates sunt domus Atridarum, sive δόμων est genitivus subiectivus, qui plerisque probatur, sive obiectivus, qui Bambergero placet. Quod si δόμων genitivus subiectivus intelligitur, aptissime his domus Atridarum vatibus ille exercitus Argivorum vates (στρατόμαντις), qui v. 118 commemoratur, conferri potest (cf. Hermann.).

Vere quidem Klausenius, „vatis est, inquit, pronuntiare id quod latet ...., tum res futuras, quarum fontes iam exstant, tum res praesentes, quae non omnibus sunt perspicuae, tum res exactas, quae non omnibus patent. Ita designatur Calchas Hom. Il. I. 70. ὃς ᾔδη τά τ᾽ἐόντα τά τ᾽ἐσσόμενα πρό τ᾽ἐόντα“. At quod pergit, „hoc loco vates designant res praesentes τά τ᾽ἐόντα, vigere Helenae memoriam et desiderium in omnibus qui sunt in domo Atridarum, ut quasi praesens dici possit“, non assentior. Nam vates hic non solum res praesentes designant, verum etiam futuras; annuntiant enim ipso tempore fugae Helenae, quae hac fuga eventura sint in Atridarum domo. Praeterea vates non designant „vigere Helenae memoriam et desiderium in omnibus qui sunt in domo Atridarum“, sed de unius Menelai moerore atque luctu vates loquuntur. Complorant quidem duobus prioribus versibus (392. 393.) malam fortunam domus Atridarum, inde vero extemplo Menelai moerorem atque luctum annuntiant.

v. 393. στίβοι φιλάνορες, gressus amatorii, non de amore erga Menelaum maritum, sed de amore in Paridem adulterum sunt intelligendi (cf. Klausen.): quam ob rem non de ingressu Helenae sponsae in Menelai aedes, quod Ahrensius vult, sed de egressu ex his aedibus (βέβακεν ῥίμφα διὰ πυλᾶν) sermo est. Mutatione igitur vocis φιλάνορες opus prorsus non est. Fugae enim notio, quam Engerus hoc loco requiri putat, in στίβοι φιλάνορες iam apertissime inest, ut, si στίβοι φυγάνορες corrigatur, quod Karstenius vere proposuisse videtur Engero, maxime langueat.

v. 394 sqq. Vates dolorem Menelai propter Helenae fugam describere incipiunt πάρεστι κ. τ. λ. Quamvis hic locus vitiosissimus et desperatissimus esse videatur (cf. Enger. ed. ma.), tamen sententia quae in eo inest non latet: „tacere Menelaum prae dolore quod carissima coniux aufugerit“ (Enger. ed. ma.). Flor. et Farn. exhibent πάρεστι σιγᾶς ἄτιμος ἀλοίδορος ἅδιστος ἀφεμένων ἰδεῖν. Hermannus, ut aliorum emendationis pericula quae sunt plurima omittam, emendationem proposuit πάρεστι σιγὰς ἀτίμους ἀλοιδόρους αἴσχιστ᾽ ἀφειμένων ἰδεῖν, quae emendatio, quum longius a librorum lectione recedat, haud facile comprobatur. V. 394. quidem cum Naegelsbachio scribendum esse mihi videtur πάρεστι σιγᾶς ἄτιμος τ᾽ἀλοίδορος (σιγᾶς = σιγάεις, σιγήεις, velut τιμᾶς = τιμάεις, τιμήεις), sed v. 395. propono ἅδιστ᾽ ἀφειμέναν ἰδών, ut sententia haec sit: Adest tacitus sine honore, sine vituperatione, qui lubentissime eam quae deseruit conspexit. (De verbi ἀφίεμαι significatione cf. Naegelsb. i. h. l.). Huic sententiae apte adiungitur quae sequitur, scilicet moerore tantopere eum afflictum esse, ut desiderio uxoris tabescens quasi φάσμα domus imperium obtinere videatur. Klausenius, qui φάσμα imaginem vel spectrum Helenae explicat, „ridiculum esse putat, desiderio tabescere Menelaum, ut umbrae similis appareat.“ Iure vero repugnant Ahrensius et Naegelsbachius. Nam Menelaus, quum iam ante designatus sit tacens, moerore vehementissime afflictus, verissime et aptissime φάσμα appellatur. Quum

Helena desiderio, quo eam prosequitur Menelaus, in eius animo regnet, ipse Menelaus hoc desiderio tabescens umbrae similis in domo regnare videtur. Etiam flagitat sententiarum contextus, ut exponatur quo in statu Menelaus sit, non quid iam domi fiat (cf. Naegelsb.). Minime igitur ridiculum est dicere, Menelaum umbrae similem domi regnare.

v. 398. Helena quae in animo Menelai desiderantis regnum tenet, efficit, ut omnia quae ei antea placuerint nunc displiceant, immo odiosa sint. „Ne id quidem quod venustissimum est in aedibus Atridarum amplius placet Menelao". (Klausen.). Formosarum statuarum („*κολοσσοί* sunt columnae in domo, et fortasse etiam statuae, sed non Helenae" Herman.) odiosa est venustas viro i. e. Menelao. „Nam deficiente Helenae adspectu omnis voluptas cessat" (Herman.). Klausenius contra et Naegelsbachius *ὀμμάτων ἀχηνίαι* non recte de Menelai oculis, qui careant adspectu Helenae, interpretantur. Nam *ὀμμάτων ἀχηνίαι*, inopia oculorum, eadem ratione explicandum est, qua *χρημάτων ἀχηνία*, inopia pecuniarum, Choeph. 298. Genitivus *ὀμμάτων*, *χρημάτων* non est genitivus subiectivus sed obiectivus. Menelaus caret oculis, qui oculi non alii esse possunt nisi Helenae, vel potius Helena ipsa, cuius adspectus Menelaum deficit (cf. Enger. ed. ma.). Qui quum gratissimae venustissimaeque uxoris adspectu careat, omnis gratia atque venustas evanuit eiusque locum moeror atque luctus obtinet.

§. 5.

Ita dies Menelaus agit; quo modo autem noctes dolorem augeant, chorus in antistropha vates annuntiantes facit.

ὀνειρόφαντοι δὲ πενθήμονες ἀντ. β'.
πάρεισι δόξαι φέρουσαι χάριν ματαίαν.
μάταν γάρ, εἶτ' ἂν ἐσθλά τις δοκῶν ὁρᾷ,
παραλλάξασα διὰ χερῶν
βέβακεν ὄψις οὐ μεθύστερον
πτεροῖς ὀπαδοῦσ' ὕπνου κελεύθοις.
τὰ μὲν κατ' οἴκους ἐφ' ἑστίας ἄχη·
τὰ δ' ἐστὶ καὶ τῶνδ' ὑπερβατώτερα.

τὸ πᾶν δ' ἀφ' Ἕλλανος αἴας συνόρμενον
πένθεια τηξικάρδιος
δόμοις ἑκάστου πρέπει.
πολλὰ γοῦν θιγγάνει πρὸς ἧπαρ·
οὓς μὲν γάρ τις ἔπεμψεν
οἶδεν, ἀντὶ δὲ φωτῶν
τεύχη καὶ σποδὸς εἰς ἑκά-
στου δόμους ἀφικνεῖται.

v. 402. Helenae adspectu deficiente species eius in somniis occurrunt Menelao luctificae. *πενθήμονες δόξαι* „non tristificae opiniones, sed quae oriuntur e tristitia, e dolore desiderii" a Klausenio explicatur. At *πενθήμων* non significat oriens e tristitia, sed quum adiectiva, quae *μων* syllaba terminantur, copiam quandam et facultatem indicent (cf. Kruegeri Gr. Gr. §. 41. 11. ann. 31.), potius est plenus tristitiae vel tristificus. Oriuntur quidem species illae ex luctu Menelai, sed maioris momenti est, quod luctum Menelai augent, quamvis inanem quandam et brevem voluptatem afferant. Non est, cur *δόξαι* in *δόκαι*, quod Hermanno placet, mutetur.

v. 404. *μάταν*, quod haud dubie cum *βέβακεν* coniungendum est (cf. Herman.), verbis quae sequuntur *παραλλάξασα διὰ χερῶν* explicatur (cf. Enger.), minime vero, ut Fritzschius vult, quasi ex *ματαίαν* ortum in *κρατεῖν* est convertendum. Magna enim cum vi post *ματαίαν*, quo praecedens sententia finitur, *μάταν* novam inchoat sententiam,

quae causam praecedentis continet. Visae in somniis luctuosae adsunt species afferentes gratiam inanem. Inaniter enim..... Neque vero cum Hermanno ὁρᾶν legendum, ex quo sit ὁρᾷ sumendum, sed cum aliis (Prienio, Engero) ὁρᾷ corrigendum, ex quo ὁρᾶν ad δοκῶν facile repetitur. Pro Hermanni πτεροῦσσ' ὀπαδοῦσ' coniectura malo Dobraei πτεροῖς ὀπαδοῦσ' emendationem, quae propius ad librorum lectionem πτεροῖς ὀπαδοῖς accedit, ut sit sensus, alis sequens somni vias. Hermannus οὐ μεθύστερον ad ea quae sequuntur non recte refert „non rediturum posthac cum somno." Nam non hoc vates significare volunt, simulacrum posthac cum somno non esse rediturum, sed simulacrum e manibus elapsum discessisse non posthac i. e. illico, eodem temporis momento, quo quis videre sibi visus est. Sensus igitur huius loci hic est: Inaniter enim, quum grata quis putans (sc. se videre) videt, elapsum e manibus discessit visum illico, alis sequens somni vias. — His verbis, ut chorus iis quae sequuntur τὰ μὲν κατ' οἴκους ἐφ' ἑστίας ἄχη indicat, vatum finitur oratio. Illi sunt, inquit chorus, in propria domo dolores; hi vero qui sequuntur illis multo etiam sunt maiores.

v. 408. κατ' οἴκους ἐφ' ἑστίας, quod libri tradunt, non est mutandum in ἐφεστίους, ut Engerus aliique proponunt. Quamquam Aeschylus hic ita scribere potuit et Sept. 73. atque Agam. 318. revera scripsit, inde tamen non sequitur, ut etiam hoc loco ita revera scripserit. Librorum lectio ἐφ' ἑστίας commodissimum praebet sensum. Identidem vates iam penetralia domus Atridarum indicarunt, λέχος, δόμων ἀνάσσειν, κολοσσῶν, ὕπνος: quam ob rem apte chorus κατ' οἴκους ἐφ' ἑστίας dicit. Das ist das Leid im Haus am Heerd, i. e. hi sunt dolores, quos Menelaus domi suae perfert, dolores domestici ipsius Menelai ex Helenae fuga accepti.

v. 409. Sed hisce Menelai privatis doloribus multo maior est luctus universae Graeciae publicus, quem omnes ex Helenae fuga hauserunt Argivi. Universa Graecia in bellum pro recuperanda Helena susceptum profecta, singulae domus in maximos inciderunt luctus, quum quos quaeque misit occisi sint, ut cinis tantum eorum domum revertatur. — τάδ' ἐστί vulgatae lectionis iam Halmius, cui omnes hac in re assentiantur oportet, rectissime in τὰ δ' ἐστί correxit; respondet enim τὰ δέ verbis versus praecedentis τὰ μέν, quae voce τῶνδ' recipiuntur, et significat ea quae sequuntur. Neque vero hoc τὰ δέ relativum est, ut sit sensus, „quae vel his maiora sunt", quod Naegelsbachius asserit, qui post ὑπερβατώτερα comma ponit, post τὸ πᾶν vero δ' tollit. τὰ μέν — τὰ δέ est alia — alia, sive illa — haec, quae notio ubique in hac dictione inest. Post ὑπερβατώτερα vulgata interpunctio servanda est.

v. 410. Quum libri ἀφ' Ἑλλάδος αἴας exhibeant, lectio ἀφ' Ἕλλανος (non cum Klausenio et Naegelsbachio Ἕλληνος scribendum) αἴας, quam Aeschylum scribere potuisse Hermannus fatetur, magis se commendat quam ἀφ' Ἑλλανίδος γᾶς, quod Hermannus putat Aeschylum hoc loco scripsisse. Res iam per se patet. Facile fieri poterat, ut librarii pro Ἕλλανος αἴας scriberent Ἑλλάδος αἴας, praesertim quum Aeschylus etiam Pers. 2. Ἑλλάδ' ἐς αἶαν, 265. ἐπ' αἶαν δίαν Ἑλλάδα χώραν usus sit. — Pro librorum lectione συνορμένοις, pro qua fortasse e scholiasta recentiore συνορμένων scribi potest, συνόρμενον scripsi, ut sit τὸ πᾶν .... συνόρμενον accusativus absolutus. τὸ πᾶν

significat universitatem Argivorum gentis, omnes Argivos (cf. „gentis commune Pelasgae“ Ovid. Metamorph. XII. 7.). Pro vulgata *τλησικάρδιος* legendum esse *τηξικάρδιος* docet glossa Farn. *τὴν καρδίαν τήκουσα.* *δόμων* librorum, „quod vix potest explicari“ (Enger. ed. ma.), ex eodem scholiasta recentiore verissime *δόμοις* corrigitur. Totius igitur loci sententiam sic intelligas: Omni populo ex Graecia simul una profecto luctus animi tabificus domui uniuscuiusque est conspicuus, i. e. universae Graeciae singulae domus lugent eos qui in bellum sunt profecti.

v. 413. Multa utique ad iecur pertingunt. *θιγγάνει*, quod Engerus (ed. ma.) vix verum esse putat, Meinekius in *κιγχάνει*, Schneidewinus in *θηγάνει* mutatum vult, servetur oportet. Nam, ut Klausenius iure affert, *θιγγάνειν πρός τι*, tangendo pertinere, pertinere ita ut tangat, fortius dictum est pro *ἐφ' ἧπαρ προςικνεῖται* Agam. 757., quamquam aliis locis *θιγγάνειν* cum genitivo iungitur (cf. Sept. 44. 241.). Nos dicimus: Vieles greift ja an's Herz.

v. 414. Nam quos quis misit in bellum, non ignorat, pro vivis autem vasa et cinis in uniuscuiusque domum reportantur. *τεύχη* hoc loco significat „urnas quibus conditur cinis, quae postea *λέβητες* dictae“, quam huius vocis notionem optimo iure tuetur Klausenius adversus alios, qui per *τεύχη* arma esse intelligenda putânt. Humboldtius vertit Waffenschmuck, Donnerus Wehr, Naegelsbachius Rüstung. Verumtamen sententiarum contextu manifesto apparet, chorum dicere velle, nihil aliud nisi exiguum cinerem pro vivis ipsis domum reportari (cf. v. 420 sqq.)

§. 6.

Maximum universae Graeciae moerorem quin uberius chorus enarret, facere non potest. Vehementissime enim omnium civium domi relictorum animos mordet atque exedit.

ὁ χρυσαμοιβὸς δ' Ἄρης σωμάτων στρ. γ'.
καὶ ταλαντοῦχος ἐν μάχῃ δορὸς
πυρωθὲν ἐξ Ἰλίου
φίλοισι πέμπει βαρὺ
ψῆγμα δυςδάκρυτον, ἀν-
τήνορος σποδοῦ γεμί-
ζων λέβητας εὐθέτους·
στένουσι δ' εὖ λέγοντες ἄν-
δρα τοῦτον ὡς μάχης ἴδρις,
τὸν ἐν φοναῖς καλῶς πεσόντ' ἀλ-
λοτρίας διαὶ γυναικός·
τάδε σῖγά τις βαΰζει.
φθονερὸν δ' ὑπ' ἄλγος ἕρπει
προδίκοις Ἀτρείδαις.
οἱ δ' αὐτοῦ περὶ τεῖχος
θήκας Ἰλιάδος γᾶς
εὐμόρφους κατέχουσιν· ἐχ-
θρὰ δ' ἔχοντας ἔκρυψεν.

Mars remittit flebilem virorum cinerem cum summo superstitum luctu. Sed hi molestissime ferunt, quod alienae mulieris causa tam multi et boni viri perierunt. Ex hac igitur ira exoritur invidia atque odium in Atridas, quippe qui huius caedis auctores sint.

v. 418. *χρυσαμοιβὸς σωμάτων* e sententia Engeri (ed. ma.) Mars dicitur, „quod pro corporibus, pro viris, quos accipit, aurum reddit i. e. urnam auream *ἀντήνορα σποδόν* continentem.“ Attamen quin non omnium occisorum, immo perpaucorum cineres urnis aureis conditi in patriam sint reportati, dubium non est. Propius iam

ad veram huius vocis explicationem accedit Wellauerus (lex. Aeschyl. s. v.). „χρυσαμοιβός qui aliquid auro permutat, sensu translato ..... Mars qui occisorum corpora cineribus permutat, qui pro corporibus cineres reddit.“ Id tamen non omnino recte disputat. Nam Mars non occisorum corpora cineribus mutat, sed vivorum corpora. Rectissime igitur Naegelsbachius: „qui pro corporibus vivis, quae accepit, reddere solet mortua.“ χρυσαμοιβός, quam vocem Hesychius interpretatur ἀργυρογνώμων, idem significat quod ἀργυραμοιβός, argentarius. Mars est argentarius corporum, qui pro corporibus vivis reddit mortua, pro corporibus vivorum cineres mortuorum.

v. 419. ταλαντοῦχος, libram tenens, similem mercatoris imaginem praebet. Mars libram tenet in hastarum pugna, qua libra vitam hominum pendit atque pro vita mortem reddit. De Marte victoriae lances tenente propter rerum contextum cogitare vetamur.

v. 421. φίλοισι Engerus recte non de amicis, sed de propinquis, parentibus, coniugibus, liberis, interpretatur; φίλοι sunt domestici occisorum. — Quamquam Schützii coniectura, qui pro βαρὺ ψῆγμα emendandum esse βραχὺ ψῆγμα putat, sententiae huius loci est conveniens, tamen neque cum Hermanno veri simillima neque cum Fritzschio praeclara est praedicanda, quum librorum lectio optimum praebeat sensum. βαρύς, velut latine gravis, est tristis, tristificus; itaque aptissime ad βαρὺ ψῆγμα additur δυςδάκρυτον. Quam ob rem cum Schneidewino, Engero (ed. ma.), Naegelsbachio vulgatam lectionem iustissime tueri mihi videor.

v. 423. ἀντήνωρ σποδός est cinis qui pro homine in patriam reportatur, a Marte corporum argentario permutatus. Wunderi sententia, qui genitivum ἀντήνορος σποδοῦ ex vocabulo ψῆγμα aptum esse putat, ut γεμίζων λέβητας nihil aliud sit nisi „in urnis“, plerisque interpretibus iure improbatur; languidissima enim est.

v. 426 sqq. Vulgata quidem huius loci lectio depravata esse videtur, quam contra Engerus (ed. ma.) iustissime disputat, sed non in omnibus eius disputationi assentiri licet. „τὸν μέν, inquit, et τὸν δέ non recte opponuntur, uterque enim ceciderat, uterque fortiter, uterque alienae mulieris causa. Deinde spondeus suspicionem movet, quum in toto hoc carmine iambici pedes diligentissime exaequati sint. Exspectaverim ἄνδρα τοὶ μὲν ὡς μάχης ἴδρις, τὸν ἐν φον. lugent praedicantes virum propinqui (φίλοι, quibus debebat opponi οἱ δὲ βαΰζουσι) tanquam pugnae peritum, qui praeclare occubuerit alienae mulieris causa; talia taciti mussitant.“ Quamquam φίλοι subiectum est huius sententiae, tamen non sic res est comparata, ut his propinquis (φίλοι) opponi debeat οἱ δὲ βαΰζουσι. Illud τὶς in verbis τάδε σῖγά τις βαΰζει referendum est ad subiectum sententiae praecedentis ut pars eiusdem huius subiecti. Nonnemo horum propinquorum tacitus mussitat. Itaque τοὶ μέν, quod Engerus proponit, defendi nequit. E mea quidem sententia τὸν μὲν ὡς μάχης ἴδρις τὸν δ' ἐν φοναῖς καλῶς πεσόντα ad unum eundemque spectat, cuius scilicet cinerem propinquis domum Mars remittit. Quam ob causam ut legatur propono ἄνδρα τοῦτον ὡς μάχης ἴδρις, τὸν ἐν φοναῖς κ. τ. λ. Lugent propinqui praedicantes virum

3*

hunc, sc. cuius cinerem Mars domum remittit, ut pugnae peritissimum, qui in caedibus gloriose ceciderit alienae mulieris causa.

v. 429. *τάδε*, quam librorum lectionem Hermannus in *τὰ δέ* — „alia tacite quis mussitat, non suscipiendum scilicet bellum fuisse propter mulierem adulteram" — correctam vult, omnino esse retinendam puto. Quod Hermannus *τὰ δέ* iis quae praecedunt iungendum vult, ut sit *τὸν μὲν λέγουσιν ὡς μάχης ἴδρις, τὸν δὲ ἐν φοναῖς καλῶς πεσόντα, τὰ δὲ σῖγά τις βαΰζει*, neminem esse iudico qui probet. Nam et verborum et sententiarum contextus exsisteret durissimus. Post *τὸν μέν* — *τὸν δέ* tertium *τὸν δέ* requiritur, *τὰ δέ* ferri nequit. Illa vero quae tacite quis mussitat, non sunt alia sed eadem quae iam praecedentibus *τὸν μέν* — *τὸν δέ* comprehenduntur. Praeterea *τὸν μέν* — *τὸν δέ* hic non recte opponi, supra iam demonstravi (cf. annot. v. 427.). *τάδε* referatur oportet ad ea quae praecedunt. Talia, propter adulteram scilicet mulierem multos belli peritissimos fortissime pugnantes cecidisse, talia multi taciti mussitant. Bene profecto iam Schützius, quem Hermannus idcirco vituperat, sic vertit: „et hoc ipsum multi sunt qui tacite mussitent."

v. 430. *ἄλγος* est dolor propinquorum qui lugent mortem suorum propter mulierem adulteram occisorum. Sed quum huic dolori odium in eos qui caedis tot fortissimorum virorum auctores sunt, in Atridas, coniungatur, *ἄλγος φθονερόν* dicitur, dolor odii plenus. Klausenii aliorumque explicationi „dolor ex invidia ortus tacite paratur Atridis" iam rerum contextus vehementissime repugnat. Hic enim dolor non alius esse potest nisi de quo proxime sermo fuit, dolor propinquorum. Sed quaeritur, quocum dativus *Ἀτρείδαις* coniungendus sit. Engerus, quem Naegelsbachius sequitur, dativum ex adiectivo *φθονερόν* aptum esse existimat, ut sit *ἄλγος φθονερὸν προδίκοις Ἀτρείδαις* luctus plenus in Atridas odii. At iam verborum *προδίκοις Ἀτρείδαις* collocatio indicare videtur, ea cum *ἕρπει* esse iungenda. Neque vero quum verba *προδίκοις Ἀτρείδαις* voci *ἕρπει* iunguntur, in iis sensus inesse potest, moerorem in Atridarum animum intrare. Quod ut verba significent, opus est accusativo *προδίκους Ἀτρείδας*; nam subrepere alicuius animo est *ὑφέρπειν τινά* non *τινί* cf. Agam. 255. Choeph. 457. Dativus hoc loco positus est dativus commodi vel potius incommodi. Atque sensus est: Luctus odii plenus subrepit ducibus Atridis i. e. adversus duces Atridas. Multo autem magis poetice mihi hoc dictum esse videtur, Trauer voll Hass schleicht gegen die Atriden heran, quam quod Engero et Naegelsbachio placet, Trauer gegen die Atriden voll Hass schleicht heran. Tacite atque lente luctus odii plenus subrepit adversus Atridas, in dies propius accedit, donec tandem Atridas pessumdet.

v. 432. *οἱ δέ* non sunt „alii atque quorum cineres domum reportantur", quod Naegelsbachius Klausenium aliosque secutus asserit, sed cum Engero iidem sunt intelligendi, „quorum cineres quidem domum sunt reportati, nihilo tamen minus in terra hostili sunt humati; nam etiam ii, quibus tumulos ad Troiam exstruxerunt Graeci, antea sunt combusti." *οἱ δέ* sunt occisi, quos propinqui lugent atque deplorant, propter quos Atridis invident atque succensent. Hi ipsi occisi opponuntur propinquis vivis moerentibus. Vere igitur Engerus (ed. mi.) sententiarum contextum hisce expli-

cat: „So klagen zu Hause die Angehörigen um die Gefallenen, diese aber, die Gefallenen, haben dort um Iliums Mauer ihre Gräber und es deckt sie feindliches Land."

v. 434. εὔμορφοι Flor. Vict. εὐμόρφως Farn. Vere Blomfieldius plane otiosum εὔμορφοι ratus scribendum putat εὐμόρφους, quam emendationem iam illud εὐμόρφως Farn. commendat. Deinde quamquam εὔμορφος non semper proprie dici, sed referri etiam ad alia quae laudabilia vel ornata sunt, Hermannus vere annotat, tamen quum et ipse propriam notionem formosi hoc loco prorsus repudiandam esse existimet, non intelligitur, quid εὔμορφοι decori hic sibi velit. Nam eos fortissime pugnantes gloriosae morti occubuisse, hic iam non agitur; in iis quae proxime praecedunt eius rei mentio facta est. Sententia vero quae statim sequitur, ἐχθρὰ δ' ἔχοντας ἔκρυψεν, vehementissime flagitat, ut in iis quae praecedunt sententia insit, quae illi respondeat. Optime autem inter se respondent θήκας εὐμόρφους et ἐχθρά sc. γᾶ. Illi autem ibi circa moenia (τεῖχος pro πόλις positum est) terrae Iliacae sepulcra decora obtinent, sed inimica terra tenentes condidit.

v. 435. ἔχοντας, pro qua voce Auratus ἑλόντας, Orellius ἐχθόντας, Hartungius ἐχθρὰ δὲ χθὼν κατέκρυψεν, alii alia tentarunt, iure ab Hermanno defenditur; nam praecedentem vocem ἔχοντας ipsum quod sequitur κατέχουσιν tuetur. Verumtamen „etsi ad θήκας refertur, sic est dictum, ut simul compotitos terrae illius significet, ut vere animadvertit Blomfieldius" (Herman.).

§. 7.

Iuppiter Paridis quidem scelus violati hospitii raptaeque Helenae severissime punit, poenam de eo eiusque fautoribus i. e. universa Troianorum civitate sumens per Atridas (cf. v. 60 sqq.), sed et ipsi Atridae hoc nefarium facinus ulciscentes novum scelus committunt, quod auctores sunt multorum civium caedis propter alienam mulierem propriamque gloriam. Quod novum crimen ne Atridarum ducat ruinam atque perniciem, maximum est periculum. Nam eorum qui multos interfecerunt vindices sunt dii, qui per furias eos perdunt. Itaque laudo fortunam non invisam. Utinam neque urbium devastator sim neque aliorum servus vitam agam.

βαρεῖα δ' ἀστῶν φάτις ξὺν κότῳ ἀντ. γ΄.
δημοκράγου δ' ἀρᾶς τίνει χρέος.
μένει δ' ἀκοῦσαί τί μου
μέριμνα νυκτηρεφές.
τῶν πολυκτόνων γὰρ οὐκ
ἄσκοποι θεοί. κελαι-
ναὶ δ' Ἐρινύες χρόνῳ
τυχηρὸν ὄντ' ἄνευ δίκας
παλιντυχεῖ τριβᾷ βίου
τιθεῖσ' ἀμαυρόν, ἐν δ' ἀΐστοις
τελέθοντος οὔτις ἀλκά.
τὸ δ' ὑπερκότως κλύειν εὖ
βαρύ. βάλλεται γὰρ ὄσσοις
Διόθεν κεραυνός.
κρίνω δ' ἄφθονον ὄλβον.
μήτ' εἴην πτολιπόρθης,
μήτ' οὖν αὐτὸς ἁλοὺς ὑπ' ἄλ-
λων βίον κατίδοιμι.

v. 436. Gravis autem est civium rumor cum ira, i. e. graves sunt civium iracundi sermones, qui oriuntur ex illo φθονερῷ ἄλγει. φάτις ad praegressum τάδε σῖγά τις βαΰζει spectat, ξὺν κότῳ autem ad φθονερὸν ἄλγος.

v. 437. Subiectum est φάτις, rumor ille iracundus; sed quid sit τίνει χρέος, quaeritur. Non accurate Naegelsbachius interpretatur „τίνειν χρέος, praestare quod

facere debet alius, i. e. vicem alicuius praestare, agere. Est: den Werth entrichten, ërstatten, ersetzen, Ersatz leisten". At τίνειν χρέος per se hanc notionem, „praestare quod facere debet alius", non habet. τίνειν χρέος per se significat praestare, solvere, persolvere debitum, non quod persolvere debet alius, sed tute ipse persolvere debes. Genitivo possessivo voci χρέος addito τίνειν χρέος notionem consequi potest praestandi quod facere debet alius. τίνειν χρέος τινός igitur significat debitum alicuius persolvere, i. e. „alicuius vice agere, eadem qua ille potestate ornatum esse" (Klausen.). Itaque sensus huius loci est: Gravis civium iracundus rumor debitum δημοκρ. ἀρᾶς solvit, vice δημοκρ. ἀρᾶς agit, eadem vi atque potestate est, qua δημοκρ. ἀρά, „gilt statt volksverhängten Fluchs", ut Naegelsbachius vertit.

Sed δημοκράτου ἀρᾶς librorum lectio quid significet, haud facile est ad explicandum. Ob eam rem Porsonus, cui omnes fere assensi sunt, librorum lectionem in δημοκράντου ἀρᾶς mutavit, quod non magis facile explicatur; alii autem alia emendationis pericula proposuerunt. Hartungius, qui δημοκράκτου corrigi vult, mihi quidem ad veram lectionem propius accedere videtur. Gravi enim rumori civium aptissime opponi populi clamorem exsecrationis, facile intelligitur. De exsecratione cum populi clamore coniuncta sermo est Agam. 1370. δημοθρόους ἀράς, v. 1374. δημόθρους ἀράς. Quamquam Hartungii δημοκράκτου idem significat, tamen equidem malim δημοκράγου, quae vox et sententia et forma defenditur voce δημόθροος. Alpha vero vocis δημόκραγος longum esse pronunciandum, ex iis intelligitur, quae Lobeckius Paralip. p. 408. docet. Pro δημοκράγου autem facillime δημοκράτου subrepere potuit, quum litterarum Γ et Τ iam per se facilis permutatio eo facilius a librario fieri posset, quo melius novisset vocem tritam δημοκρατία quam illud ἅπαξ λεγόμενον δημόκραγος. Rumor igitur tacitus civium iracundiae plenus eadem vi atque potestate est qua exsecratio clamori populi coniuncta, i. e. eundem perniciosum exitum ille rumor tacitus habebit quem exsecratio clamosa habere solet. — Neque vero prorsus recte Engerus (ed. mi.) hunc locum interpretatur: „zahlt die Schuld eines Volksfluches, d. h. wird gestraft wie ein Volksfluch, gilt eben so viel. Subiect ist φάτις, aber in geänderter Bedeutung, das Vergehen, dem die Nachrede gilt". Subiectum quidem, ut iam supra commemoravi, est φάτις, sed sensu proprio atque solito, sermo, rumor. Est enim rumor civium iracundus intelligendus, quo bellum ab Atridis susceptum lugent atque vituperant, qui rumor eandem vim habet quam exsecratio haberet, si qua populus deorum iram in Atridarum caput detestaretur.

v. 438. Ea de causa, chorus pergit, manet mea cura, qua animo angor, quod auditurus sim aliquid nocte occulti (νυκτηρεφές τι), caliginosi, exitiosi, i. e. calamitatem quandam qua Atridae affligantur. Pro μου librorum non est μοι, quod Engero (ed. ma.) probatur, corrigendum. Nam multo fortius dicit chorus, manet *mea* cura, quam si diceret, manet *mihi* cura; illud enim non solum choro esse curam significat, sed etiam chori, ut cura ipsius chori naturae quasi pars quaedam sit.

v. 440. πολυκτόνοι quin Atridae sint intelligendi, nemo est qui dubitet. Sed qui sint multi quos interfecerunt, inter omnes non constat. Klausenius de caede et Troia-

norum et Argivorum cogitat, alii vel de Iphigenia sermonem esse arbitrantur. Attamen hic ubi de civium invidia loquatur chorus, solos Argivos esse intelligendos, Engerus (ed. ma.) verissime dicit. De culpa, quam Atridae Iphigeniae immolatione contraxerunt, iam primo chorus cantico, veritus, ne damnum afferret, copiosius dixit; hoc autem carmine novam culpam, qua Atridae bello suscepto caedis multorum civium auctores sint obstricti, ipsis perniciosam fore persuasum habet. — Eandem exprimit chorus sententiam quam supra v. 335 sqq. *οὐκ ἔφα τις κ. τ. λ.* Dii poenas ab impiis repetunt, sed per furias ministras, quae improbos persequuntur poenisque afficiunt.

v. 445. Post *ἀμαυρόν* vulgatam commatis interpunctionem retinendam esse iudico adversus Engerum (ed. ma.) et Naegelsbachium, qui fortiore interpunctione distinguunt et verba *ἐν δ' ἀΐστοις κ. τ. λ.* ad ea quae proxime sequuntur hac referunt sententia: „ut obscuri hominis nullae sunt opes, ita nimis esse potentem periculosum est, ideo mediocritatem praefero" (Enger.). Verba enim *ἐν δ' ἀΐστοις* verbis *τιθεῖσ' ἀμαυρὸν κ. τ. λ.* annexa Engerus admodum languida, Naegelsbachius inepta esse existimat. Etiam Naegelsbachius *ἀΐστους* ignobiles esse dicit, quos nemo noverit, eosque contrarie referri ad *τοὺς ὑπερκότως εὖ κλύοντας*. At quum rerum contextum consideramus, facere non possumus, quin *ἐν δ' ἀΐστοις κ. τ. λ.* ad *τιθεῖσ' ἀμαυρὸν κ. τ. λ.* referamus. Verba *ἐν δ' ἀΐστοις τελέθοντος* hic non significant simpliciter hominem obscurum (Enger.), hominem quem nemo novit (Naegelsb.), sed hominem quem furiae obscurum sive ignobilem reddiderunt (*τιθεῖσ' ἀμαυρόν*). Quod igitur additur, hominis tali ratione a furiis obscuri facti nullum esse robur, neque languidum neque ineptum est, sed multum ad sententiam augendam confert. Neque vero is, quem furiae obscurum reddunt, contrarie, quod Naegelsbachius contendit, ad eum referri potest, qui maiore cum invidia celebratur (*ὑπερκότως εὖ κλύειν*). Nam uterque, et is quem furiae obscurum reddunt et is qui maiore cum invidia celebratur, prorsus idem est. Minime igitur sententia, quam Engerus et Naegelsbachius in illis verbis inesse opinantur, tolerari potest; huiusmodi enim esset: Ut hominis sine iustitia felicis, quem ea de re furiae perdiderunt, nullum est robur, ita maiore cum invidia celebrari periculosum est. Commodissimum autem locus praebet sensum vulgata interpunctione servata: A t r a e f u r i a e t a n d e m h o m i n e m s i n e i u s t i t i a f o r t u n a t u m m u t a t a v i t a e f o r t u n a r e d d u n t o b s c u r u m, c u i u s o b s c u r i h o m i n i s n u l l u m o m n i n o e s t r o b u r. M a i o r e i g i t u r c u m i n v i d i a c e l e b r a r i p e r i c u l o s u m e s t.

v. 447. *ὑπερκότως* librorum sine dubio retinendum, neque vero *ὑπερκόπως*, quod Grotio auctore Hermannus aliique receperunt, scribendum esse, iam illud *ξὺν κότῳ* v. 436. satis superque docet.

v. 448. Mirum in modum vertit Naegelsbachius „denn kraft seines Auges schleudert Zeus den Wetterstrahl." Nam qua ratione Iuppiter fulmen mittat, hoc loco nihil interest, maxime vero, quid fulmine feriat. At quod chorus dicit, *βάλλεται γὰρ ὄ σ σ ο ι ς Διόθεν κεραυνός*, id plerisque non probatur. „Man erwartet ein Wort, das d i e h ö c h s t e n S p i t z e n bedeutet, feriuntque summos fulgura montes" (Enger ed. mi.). Quapropter alii interpretes alias coniecturas fecerunt, ut illam extorquerent sententiam (cf. Enger. ed. ma.). Sed Hermannus verissime illud *ὄσσοις* ad *τιθεῖσ' ἀμαυρόν* et *ἐν*

δ' ἀΐστοις τελέθοντος referendum esse censet. Propter ea ipsa quae praecedunt verba multo aptius et pulchrius chorus voce *ὄσσοις* utitur, quam si adhiberet vocem quandam qua significantur summa cacumina. *ὄσσε*, oculi, autem hoc loco sunt ii ipsi homines intelligendi, qui gloriae lumine splendent, quales Iovis fulgur ferit redditque obscuros.

v. 453. Neque Valckenarii emendatione *κατίδοιμι* neque Karstenii *ὑπ' ἄλλῳ* opus est. Verba, utinam ne ipse captus ab aliis vitam conspiciam, sensum praebent non contemnendum et sane tolerabilem. Sin legis *ὑπ' ἄλλῳ*, multo quidem simplicior evadit oratio, neque tamen concinnior neque pulchrior. Ex *ἁλοὺς ὑπ' ἄλλων* facillime illud *ὑπ' ἄλλῳ* vel potius *ὑπ' ἄλλοις* sumitur. — Ita chorus sibi optat, ut neque urbium sit destructor neque aliis subditus vitam degat; quá sententia redit ad eam quam v. 362. *ἔστω δ' ἀπήμαντον κ. τ. λ.* iam exposuit. Mediocris fortuna, quae neque abundat neque eget, est optima atque ab invidia tutissima.

§. 8.

Sequitur carminis quasi epodus. Quam epodum qua re commotus chorus adiecerit, quum verba *πυρὸς δ' ὑπ' εὐαγγέλου κ. τ. λ.* nimis abrupta esse videantur, vere disputat Engerus (ed. ma.).

πυρὸς δ' ὑπ' εὐαγγέλου δ α'. ἐπῳδός.
πόλιν διήκει θοὰ
βάξις· εἰ δ' ἐτήτυμος,
τίς οἶδεν; ἤ τι θεῖόν ἐστι μὴ ψύθος; κ. τ. λ.

v. 457. „*τίς οἶδεν· ἤτοι θεῖόν ἐστι μὴ ψύθος* Victor. et sic Farn. nisi quod post *οἶδεν* non interpunctum est. *ἤ, τοι*, sed ad priorem syllabam supra scripto *ει*, Flor." (Herman.). Quin hic versus puris iambis constiterit vix dubitari posse, Hermannus, cum quo Engerus aliique consentiunt, bene docet; minus vero comprobatur, quod ipse hoc versu scribendum esse coniicit. Ex eius enim sententia scribendum est *εἰ δ' ἐτήτυμος, τίς οἶδεν; εἴ τι θεῖόν ἐστι μὴ ψύθος.* „verane, quis scit? nisi divina aliqua fraus est." Attamen contra hanc Hermanni coniecturam Engerus rectissime affert, quum chorus eam i. e. *θοὰν βάξιν* veram esse non credat, nisi sequi non posse. Sed ut et ipsius Engeri, qui quum *μή* tolerari vix posse censeat, tamen relicto *μή* recepit *ἤ τι*, et aliorum coniecturas omittam, e mea quidem sententia legendum est *εἰ δ' ἐτήτυμος, τίς οἶδεν; ἦ τι θεῖόν ἐστι μὴ ψύθος;* Ob es wahr, wer weiss es? es ist doch wohl nicht etwa eine göttliche Täuschung? Quam lectionem huic loco maxime esse convenientem existimo. Illud *ἦ μή* interrogativum est, quod significat dubitationem quandam, cui adiunctum est votum, ne ea sint vera quae dubitantur (cf. Hom. Od. VI. 200. IX. 405.). Simili modo Aeschylus utitur *μή* Prom. 249., *ἆρα μή* Sept. 190. Respicit autem haec choreutarum interrogatio verba vv. 257. 258., quo loco chorus ex Clytaemnestra quaesivit, num ipsa certum habeat indicium Troiae captae. Ad ea Clytaemnestra: Habeo; cur non? nisi deus me fefellit. Quam ob rem hoc loco choreutae bene et dubitationem interponunt, num Clytaemnestra certum indicium habeat (*εἰ δ' ἐτήτυμος, τίς οἶδεν;*), et divinam quandam fraudem suspicantur (*ἦ τι θεῖόν ἐστι μὴ ψύθος;*). Recte igitur Donnerus vertit „Ob er (des lichten Strahles froher Ruf) Wahrheit meldet auch, wer weiss es? Ob's nicht etwa Trug von Göttern ist?"

Scr. Monast. Guestfal.

Stephanus Bohle.

Schulnachrichten.

I. Unterrichtsplan des Schuljahres 1862—63.

Ober-Prima, Coetus I. u. II.

Ordinarien: Coetus I. Herr Professor Welter.
Coetus II. Herr Professor Lauff.

1) Religionslehre: 1. Für die katholischen Schüler: a. Die Lehre von den hl. Sakramenten des Altars, der Buße, Oelung, Priesterweihe und Ehe, und von den letzten Dingen des Menschen. b. Die allgemeine Pflichtenlehre und der erste Theil der besonderen. c. Kirchengeschichte: Wiederholung und Fortsetzung bis zur Kirchenspaltung des 16. Jahrhunderts einschließlich. — 2. Für die evangelischen Schüler: a. Lesung und Erklärung der Apostelgeschichte von Kapitel 4 — 26 nach dem Griechischen Urtext. b. Kirchengeschichte: Vom apostolischen Zeitalter bis zur 3. Periode: Trennung der Griechischen und Lateinischen Kirche, bis zur Reformation. c. Christliche Lehre vom göttlichen Gesetz (10 Gebote), vom christlichen Glauben, bis zum 2. Artikel. d. Schriftliche Ausarbeitungen.

2) Mathematik. Wiederholungen und Aufgaben aus dem gesammten in den Bereich des Unterrichts fallenden Gebiete der Mathematik.

3) Physik. Die Lehre vom Gleichgewicht und der Bewegung luftförmiger Körper, vom Schall, vom Licht und der Wärme. Einzelne Kapitel aus der Lehre von der Elektrizität und dem Magnetismus.

4) Geschichte und Geographie. Geschichte der neueren Zeit bis 1815, Brandenburgisch-Preußische Geschichte bis 1815. Wiederholungen aus der alten und mittleren Geschichte. — Geographische Wiederholungen.

5) Deutsche Sprache. a. Geschichte der neueren Literatur der Deutschen. b. Göthe's „Iphigenie". c. Uebungen im Disponiren. d. Aufsätze. e. Die wichtigsten Lehren der Logik.

6) Lateinische Sprache. a. Cic. de officiis I. II. III. und orat. pro Marcello. b. Extemporalien, Uebersetzungen, Aufsätze. c. Hor. Carm: III. IV. mit Auswahl; einzelne Epoden, Satiren und Episteln.

7) Griechische Sprache. a. Ausgewählte Stücke aus Thukydides I. und II. b. Schriftliche Uebersetzungen in's Griechische; Extemporalien. c. Hom. Ilias VII. VIII. XII. XVI. XVIII XXIV. mit Auswahl.

